DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

MORBORVM MIGRATIONE

QVAM,

SVB PRAESIDIO ALTISSIMI

CONSENSV

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS

IN ALMA ET PERANTIQVA HIERANA

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN ARTE MEDICA HONORIBVS
ET PRIVILEGIIS LEGITIME
IMPETRANDIS

PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

AVCTOR

JO. CAROL. SEBAST. BRÜCKNER

COBVRGENSIS

H. L. Q. C. d. XVIII. Septembr. MDCCLV.

ERFORDIAE,

Stanno HERINGIANO ACAD. TYPOGR.

ASSOCIATION GENERALE DES ETUDIANTS

§. I.

Migratio morbi eſt ejusdem mutatio, quoad locum, & qualitates inde pendentes.

§. II.

Cum migratio morborum in mutatione loci & qualitatum conſtet, (§. 1.) ſequitur, ut eorum mutatio duplici modo conſiderari debeat, quoad locum & quoad qualitates inde pendentes.

§. III.

Morbos autem quoad loca mutari poſſe, vide-

mus, dum perſpicimus, dari morbos univerſales, qui totam occupant regionem, & *morbi endemii* vocantur.

§. IV.

Omnes morbi habent cauſas (pr. Pathol.) quæ vel univerſales ſunt, vel particulares, & eodem modo morbi ipſi differunt.

§. V.

Cauſarum particularium varius eſt numerus; univerſales vero ſunt, *aer*, *alimenta*, & *conſuetudines*.

§. VI.

Aer, in quo vivimus, plerumque cum aliis particulis commixtus eſt, e. g. ſulphureis, ſalinis, terreis & aquoſis; pro locorum diverſitate, ſcimus, aerem maximum habere in corpus noſtrum influxum, dum vel per vaſa cutis reſorbentia, vel per pulmones intrat, vel irritando varias producit mutationes; cum autem eadem cauſa eandem habeat effectum, (pr. Metaph.) ſequitur, ut omnes in aere ejusdem naturæ habitantes, easdem mutationes habeant, quæ vero per corporum variam ſtructuram limitantur.

§. VII.

§. VII.

Experientia docet, ſcorbutum loca mari propinqua infeſtare; aer in his regionibus principiis ſalinis admodum plenus eſt, eaque ex ratione ſcorbutum producit, & cauſa eſt univerſalis hujus morbi, quia omnes hoc aere utentes in periculo ſunt, invadi ſcorbuto.

§. VIII.

Alimenta quoque ſecundum naturam ſuam cauſæ morborum eſſe poſſunt. Conſtat enim ex Phyſiol. humores noſtros alimentis, quibus utimur, reſpondere. Alimenta autem vel ſulphurea, vel aquoſa, vel terrea, vel ſalina ſunt: qui vero perpetuo ea aſſumit alimenta unica hac ſpecie abundante e. g. ſalinis principiis, is per alimenta accipit morbos ſcorbuticos, aliosve, uti alimenta ipſa conſtituta ſunt. Si igitur incolæ totius regionis his utuntur alimentis, omnes quoque eadem diſpoſitione corporis morboſa inſtructi eodem morbo afficiuntur, quia eadem cauſa adeſt, ſic & idem effectus. Morbi autem totam regionem occupantes *endemii* erant (§. 3.) ſic clarum eſt, alimenta morbos endemios producere poſſe.

 §. IX.

§. IX.

Exempla quam multa affirmant paragraphum antecedentem. In Tyrolenſi enim comitatu fere omnes calculo, arthritide, & ſcorbuto laborant, ſed nulla alia ex ratione, quam, quia pro potu ordinario aquam habent terra calcaria & tartarea commixtam, nec non vino utuntur acris & oleoſi principii ſanguinem admodum commovente. Hoc potu itaque partes terreſtres, ſalinæ & oleoſæ in corpus feruntur, unde ob uſum continuum particularum eſt abundantia, ex qua tandem calculoſi, ſcorbutici & Arthritici effectus oriuntur, quod neceſſario ex hac corporis conſtitutione fieri debet.

§. X.

Regimen & conſuetudines multum ad morbos endemios creandos contribuere, experientia quoque teſtatur. Nam, quæ eſt cauſa morbi Batavis tam familiaris, fluoris nempe albi? nulla alia, quam conſuetudo ſempiterni uſus potus Theæ; hoc enim efficitur, ut corpus principiis aquoſis abundet, & partes ſolidæ exinde debilitentur, nunc autem eſt formale hujus morbi abundantia ſeri & genitalium debilitas,

(pr.

(pr. Pathol.) Sic clarum eſt, hunc morbum Hollandiæ endemium regimen & conſuetudines tanquam cauſas agnoſcere. * **

§. XI.

Hi morbi endemii ſunt vel *acuti* vel *Chronici*. Dependent enim vel a miaſmate ſubtili, & tunc fiunt *acuti*, e. g. febres petechiales, variolæ & cet. vel a ſanguinis ſpiſſitudine & ſolidorum debilitate, & ſic *chronici* evadunt, uti quædam febres intermittentes, affectus calculoſi, horumque ſimiles plures.

§. XII.

His morbis *endemiis* conſideratis, apparet, eos poſſe mutari, quo ad locum, & hoc fieri, vel ab internis, vel ab externis cauſis.

§. XIII.

---

* *Plica Polonica ex ſordido vitæ genere conſueto, neglectu crinium cultu & converſatione cum ejusmodi miaſmate infectis endemia evadit.*

** *In Ducatu Gothano eſt pagus quidam, Rhula dictus, in quo omnes incolæ ſtrepunt inter loquendum* (Schnarren) *hic quoque conſuetudo cauſa eſt hujus morbi ſic dicti endemii.*

§. XIII.

Interne fieri poteſt 1) *per aeris conſtitutionem*; ſi enim aer particulis impuris & vaporibus repletus per ventos movetur, locum ſuum mutat, & unacum va-poribus & particulis ſuis impuris in aliam venit regio-nem. Ponamus nunc, ventum flare ex regionibus, ubi varii ſunt morbi *endemii*, ob aerem vaporibus ab aqua ſtagnante & exhalationibus impuris ple-num, ſic iidem morbi in regionibus exiſtent, in quas aer hic impurus pellitur.*

Coroll. Ex hoc demonſtrari poteſt, cur tempore ver-nali & autumnali morbi oriantur epidemici? quia nempe aer hoc tempore pluribus commixtus eſt exhalationibus impuris, & venti vehementiſſimi concitantur.

§. XIV.

2) *Victum mutatum* plurimum conferre, ex eo patet. Notum eſt, vinum, potus Coffee & aromati-ca

* *Italis notus eſt ventus quidam admodum impurus & no-xius, quo increbeſcente omnes, qui ruri ſunt, corpora humi proſternunt, & pecora, quæ agunt, ita ſiſtunt, ut eorum poſteriora verſus hunc ventum ſint directa.*

ca copioſius adhibita morbos endemios conſtituere poſſe, quod partim ex §. 9. apparet. Si hæc omnia in uſum trahuntur, ubi antea non erant in uſu, omnes, qui his fruuntur, quo ad conſtitutionem mutabuntur; cum autem in illa regione, ex qua veniebant hæc alimenta, morbos endemios conſtituant, cur non fieri deberet in regione, quam ingreſſa ſunt, & ſic per victum mutatum cauſæ morborum, & per conſequens morbi ipſi quo ad locum mutantur.

Obſerv. Hic explicandum, unde morbi novi in noſtris regionibus antea non uſitati, e. g. variolæ, purpura, aliaque, quorum nulla alia eſt cauſa, quam victus mutatus.

§. XV.

3) *Regimen* tantem & *conſuetudines* morbos endemios, quo ad locum mutare poſſunt. Nam ſi regimen & conſuetudines peregrinæ regionis apud nos in uſum trahuntur, quæ in illis regionibus *morbos endemios* producebant, ſic in noſtris regionibus iidem oriuntur morbi; & quia cauſa in regimine & conſuetudinibus in nos translatis latet, dicere poſſumus, morbos hoſce migraſſe, quia conſuetudines & regimen tanquam cauſæ ad nos migrarunt.

§. XVI.

Ex his omnibus efficitur, ut ſi in aliqua regione A hæc mutentur, quæ in regione B morbi quoque in regione A ſimiles erunt morbis regionis B e. g.

Aer in region.	A = 3	in region.	B = 3.
Victus —	A = 6	= =	B = 6.
Regim. & conſu.	A = 5	= =	B = 5.
	14.	=	14.

Cum igitur producta tanquam cauſæ ſibi æquales conſiderantur, æquales vero cauſæ æqualem producunt effectum, (p. pp. Metaph.) ſequitur, ut in regione A. idem ſint morbi, quam in regione B. poſitis nempe iisdem cauſis.

§. XVII.

Mutantur autem morbi *endemii* quoad locum, a cauſis quoque externis. Quod fit α) ſi miasma ſubtile, veſtimentis, lanæ, adhærens, ex uno loco portatur in alium.

§. XVIII.

Exemplo hoc illuſtrabo: ſi quis veſtes ex alia regione acciperet, in qua morbus *endemius acutus* eſſet e. g. peſtis; tunc non mirum, per veſtes hasce morbum poſſe vulgari in noſtram regionem, eundemque morbum exinde oriri. Scimus enim, quod in his morbis miasma tam ſubtile ſit, ut veſtibus adhæreat, in iisque occultum ſe habere poſſit; ſi nunc quis iisdem veſtibus utitur, tunc, miasmate per poros reſorbentes corpus ingrediente, morbus ejusdem generis conficitur, qui, homine uno hoc morbo correpto, totam dein regionem inficere poteſt. Unde variolæ, lues venerea & peſtis ipſa originem ducere ſolent.

§. XIX.

Mutatio quo ad locum fieri quoque poteſt β) ſi ægri ex uno loco tranſeant in alterum, & ſic miasma oram illam pervadit, lateque vagatur.

§. XX.

Hiſtoria docet, peſtem ſæpe, unico homine infecto, in alias regiones eſſe portatam, ubi tunc endemia facta. Et hoc regulis medicis reſpondet; notum enim

 eſt,

eſt, hoc miaſma ejus eſſe conſtitutionis, ut facillime corpus aut externe aut per ſalivam ingredi poſſit, quod de pleriſque morbis acutis valet; uti febribus varioloſis, petechial. aliisque, in quibus miaſma ſubtile pro cauſa habetur. Hoc in alia corpora ingreſſum eodem modo agit, uti in illo, ex quo migravit, niſi per medicamenta, aliaque impediatur. Sic variolæ ex regionibus Aethiopum, lues venerea ex America, Gallia & Neapoli ad nos migrarunt, quæ ex parte, certisque temporibus apud nos endemiæ reperiuntur.

§. XXI.

Hac morborum quo ad locum mutatione conſiderata, neceſſe erit, oſtendere, quomodo ratione qualitatum inde pendentium mutentur. Morbum non concipere poſſumus, niſi ejus qualitates ſimul accipiamus, ex quibus cognoſcitur, hunc vel illum morbum eſſe. Etiamſi vero morbi ex aliis regionibus ad nos migrent, tamen non ſequitur, omnes apud nos habere easdem qualitates; quævis enim res in alias poſita circumſtantias, quoad qualitates mutatur, & ſic morbi ex aliis regionibus in noſtras translati, quo ad qualitates diverſi erunt, uti circumſtantiæ, ſub quibus ponuntur.

§. XXII.

§. XXII.

Sunt autem circumſtantiæ apud morbum 1) vel conſtitutio ſubjectorum, ut ætas, temperamentum & robur, vel 2) clima, vel 3) diæta.

§. XXIII.

Pathologia morbos in pueriles, juveniles, viriles, & ſeniles dividit, & hoc optimo jure. Nam cum morbi ſecundum ſolidorum & fluidorum conſtitutionem differant, clarum eſt, ætatem puerilem ad alios morbos inclinare, quam ætatem virilem.

§. XXIV.

Partes enim ſolidæ in pueris admodum ſunt laxæ & ſpongioſæ, in juvenibus ſtrictiores, in viris robur in ſummo gradu, in ſenibus vero eſt rigiditas. Fluidorum autem conſtitutio a ſolidis dependet, & ſic in pueris oritur aquoſarum partium abundantia, ob minorem ſolidarum in fluida actionem; in juvenibus e contrario juſta conſurgit mixtio, ob proportionatam reactionem; in viris fluida oleoſis & ſulphureis principiis plena elaborantur, ob ſufficientem ſolidarum fibrarum tonum, ejusque in fluida actionem, indeque pendentem majorem reſolutionem; in ſenibus contra fluidorum ſpiſſi-

tudo a partibus rigidis inducta, unde minor in fluida actio & excretionum impedimentum.

§. XXV.

Hæc eſt cauſa cur variolæ ſenili ætati periculoſiores, quam juvenili, quia humores magis depravati ſunt & rigiditas partium eruptionem impedit in hoc morbo admodum neceſſariam. In juvenili contra ætate minus periculum inducunt, ob humores non tam depravatos, & eruptionem faciliorem a fibrarum laxitate dependentem.

§. XXVI.

Temperamenta eſſe diverſa, apparet, ſi conſideramus, fibras nerveas vel eſſe ſubtiliores, vel craſſiores, vel magis, vel minus tenſas, ex qua diverſitate fluidorum quoque diverſitas exiſtit. * Hinc cum temperamenta diverſa ſint, morbi quoque ratione temperamentorum erunt diverſi.

§. XXVII.

Si fibræ nerveæ ſubtiliores & minus tenſæ ſunt, tempe-

* *Vid. Celeberr.* KRÜGERI *Phyſiol,* §. 332.

temperamentum ſanguineum vocatur; ſi ſubtiliores & magis tenſæ, cholericum; ſi craſſiores & minus tenſæ, phlegmaticum; ſi tandem craſſiores & magis tenſæ, melancholicum.

§. XXVIII.

Ea ex ratione febres acutæ cholericis periculoſiores ſunt, quam phlegmaticis: humores enim eorum ob vehementem reactionem ſolidarum jam ſubtiles ſunt & reſoluti; ſi nunc tali morbo afficiuntur, cujus effectus in nimia reſolutione, nimiisque motibus conſtat, per ſe clarum eſt, illis eſſe periculoſiores, quam phlegmaticis, in quibus contrarium adeſt.

§. XXIX.

Robur, quod vel majus, vel minus reperitur, morbos quoque admittit diverſos; corpus enim robuſtum non tam facile morbo afficitur, quam debile corpus, quia materia peccans non ita poteſt evolvi, ut in debilioribus; & ſi jam adſit morbus, facilius tamen ſuperatur. Diſtinctio vero hic facienda inter robur naturale & vitale; quia naturaliter debilitati nondum ſunt vitaliter debilitati.

§. XXX.

§. XXX.

Si e. g. ſubjecta debiliora morbis migratis afficiuntur, alium habebunt eventum, quam in iis, qui robuſtioris ſunt eventus, habitus ſ. temperamenti; & debiles magis in periculo ſunt mortis quam robuſtiores. Nam ſalutaris eventus morbi gravioris robur corporis, quod invadit, abſolute poſtulat.

§. XXXI.

Differunt quoque morbi illi, quo ad qualitates ratione climatis. Cum enim clima valde ſit diverſum, & in corpus noſtrum maximum habeat influxum: ſequitur, ut unus idemque morbus in climate calido aliter ſe habeat, quam in climate frigido, e. g. morbi acuti apud nos aliter ſunt conſtituti, quam in Græcia. Hac enim in regione ob climatis conſtitutionem humores ad reſolutionem tendunt; ſi igitur ejus incolæ morbo acuto afficiuntur, fluida eo citius reſolvuntur; cui accedit, ut ſanguis ob nimium æſtum celerrime moveatur, & per reſpirationem refrigerari non poſſit. Quid mirum itaque, hunc morbum in Græcia ſub aliis ſymptomatibus eſſe notum, quam apud nos, ubi clima humores ſpiſſiores facit, & ſic iisdem

dem morbis aliam dat formam, etiamſi una eademque adſit cauſa.

§. XXXII.

Clima autem non ſolum fluida corporis noſtri facit diverſa, ſed per conſequens & ſolida, quæ a fluidis nutrimentum ſuum accipiunt; uti nunc nutritio a fluidis eſt diverſa, ita quoque ſolidorum erit conſiſtentia: nam res, quæ nutritur, a qualitatibus nutrimenti, hoc eſt, ab humoribus participat.

§. XXXIII.

Præterea clima per ſe, pro ſua diverſitate ſolidas mutat partes. Ex principiis enim Phyſiol. conſtat, clima nimis calidum ſolida exiccare, eaque expandere, nimis frigidum vero, ea nimis irritare atque conſtringere. *

§. XXXIV.

Ex hoc luculenter apparet, morbos quoad climata

* *Vid. Celeberr.* EBERHARDI *Tabul. Diætetica §. 4. p. 92.*

mata valde eſſe diverſos. Cum itaque morbus ex aliis regionibus in noſtram migret, tamen qualitates ejus ob climatis rationem erunt diverſæ.

§ XXXV.

Diæta quoque incolarum ad morborum quoad qualitates mutationem nec parum contribuit. Sic in regionibus, ubi vinoſa & aromatica diæta viget, acuti morbi longe ſunt graviores.

§. XXXVI.

Superfluum eſſet, longiſſimis hoc demonſtrare verbis: quia inter omnes conſtat, qualis ſit differentia inter eos, qui diæta laudabili utuntur, & inter eos, qui prava utuntur diæta. Unicum hoc modo notabo. Diæta vinoſa & aromatica facit globulos ſanguineos ob reſolutionem leviores hinc magis aptos, ut celerrime moveantur. Diæta vero, quæ apud ruſticos in uſu eſt, globulos contenſiores & majores format, hinc tam celerrime moveri non poſſunt. Et ſic eadem vis humores movens, varium tamen in his diverſis corporibus producet effectum.

Pona-

Ponamus e. g. ſint duo corpora A. & B.

Maſſa Corp. A = 3.
- - - - B = 9.
Vis movens Corp. A = 1.
- - - - - - B = 1.

Corpus itaque A celerius movebitur, quam B. Motus autem corporis B longioris erit durationis, quam A & ſic motus corporum A & B different inverſe, uti maſſæ, quas habebant. (p. pr. Phyſic.)

§. XXXVII.

Fiat nunc applicatio ad corpus humanum. Si igitur morbus acutus afficit corpus A ubi globuli humorum minoris ſunt maſſæ, hic celerius movebuntur, quam corporis B ubi majorem habent maſſam; ex his autem motibus diverſis, diverſa exiſtent ſymptomata, & ſic idem morbus quo ad qualitates erit diverſus. Si itaque morbi migrati corpora afficiunt ob regimen diverſa, ratione qualitatum mutabuntur.

§. XXXVIII.

Sic hic conſideravimus morbos, qui ex una regione in alteram migrarunt, & mutabuntur. 1) Ob

diverſam ſubjectorum diſpoſitionem (§. 23 - 31.) 2) climatis conſtitutionem (§. 31 - 35.) 3) & diætam (§. 35 - 38.)

Coroll. 1. Ex his ſequitur, morbos acutos, ad nos qui migrant, mutari poſſe in chronicos; quia in calidis locis motus vehementiores, hinc celerior criſis, & morbi celerior declinatio.

Coroll. 2. Ex chronicis in acutos morbos, ob aliud clima, & alia quæ invadit ſubjecta. e. g. Si morbus ex Moſcovia in Galliam migraret; ibidem alio modo formaret paroxiſmos.

Coroll. 3. Morbos endemios, qui ex aliis locis ad nos migrarunt, non ſemper iterum endemios fieri.

Coroll. 4. Morbos ex aliis regionibus per unicum hominem, aliamve rem in noſtras portari poſſe regiones, & dein endemios fieri.

Coroll. 5. In Græcia, aliisque locis remotis, aliam Theoriam & medendi methodum habendam, quam apud nos.

§. XXXIX.

Morbi, qui ad nos migrant, non iidem ſunt morbi: ratione loci quidem, ſed quo ad qualitates mutantur, & eorum diverſitas erit, uti loci mutati.

§. XXXX.

§. XXXX.

Ex hac morborum migratione conſiderata ſequentia educantur, neceſſe eſt, corollaria, probeque notanda.

Coroll. 1. Mutanda pro loci natura medicamenta. Sic in Ruſſia, Polonia, ſimilibusque locis parum valent aquoſa, ob frequentem ſpirituoſorum uſum. In Gallia vero ob diætam, & clima V. Snes frequentiores adhibendæ, quod apud nos fieri nequit.

Coroll. 2. Hinc cautio, ne Græcorum, Arabum, imo Gallorum & Anglorum medicamenta, in ſuis regionibus tuta, improvide adhibeamus.

VIRO
PRAENOBILISSIMO AC DOCTISSIMO
IO. CAROLO SEBAST. BRÜCKNERO
FAVTORI ATQVE AMICO SVO
OPTIME COLENDO,
SVMMVM IN ARTE MEDICA GRADVM OBTINENTI,
S. P. D.
GEORG. DAN. SCHVDEROFF
GOTH. R. M. CAND.

Virtutum ſcientiarumque indefeſſo ſectatori non de eſſe poſſunt præmia fini propoſita laudatiſſimo, hæce omni fuerunt tempore iſtarum comites maxime fideles. Quæ cum ita ſint, Fautor ac amice nunquam non colende, non eſt quod mirer, Te hodierno die ſummum in arte medica faſtigium eſſe nactum. Singularis enim planeque admiranda fuit Tua, in ejusmodi, quo nunc excellis ſtudio, diligentia, diurna, nocturnaque manu omnem moviſti lapidem, quo finem huncce conſequaris digniſſime. Jam vero, Fautor ac amice ſumme ſuſpiciende, illud illuxit; quod Tuo reſpondet fervori. Video idcirco Patrem Tuum Magnificum, ſummeque devenerandum ſumma perfuſum lætitia; Video amicos ſummopere gaudentes; & cur non gaudeant neſcio, Virum Patre ſuo tam dignum conſpicientes? Summum quod colimus numen Tibi & in poſterum benedicat, omnia incepta Tua fortunet, cuncta infortunii genera abs Te, Tuaque familia ſplendidiſſima abeſſe jubeat. Me vero Tuo, ut feciſti, amore ac benevolentia & in poſterum habeas dignum. Scribebam Gothæ d. 12. Sept. M DCC LV.

Wie

Wie zum Vergnügen: ſo zum Glücke
Führt mich, o Freund! itzt mein Geſchicke
In mein mir ſchätzbar Vaterland
Und macht mir faſt zuerſt bekannt,
Daß nun auf unſerm Helicone
Auch Meditrine vor den Fleiß
Vor den am Buch verſchwitzten Schweiß
Dir, ihrem Sohn nach Würden lohne.
So nimm zum Schmuck den Doctor-Hut!
Und hört man bey dem Krancken-Bette:
Die Artzeney würckt trefflich gut:
So werden, liebſter Freund! ich wette
Auch ſolche, die nicht kräncklich ſeyn,
Nach meinen Doctor Brückner fragen
Und Dir die Angſt des Hertzens klagen.
Was giebſt Du denn nun dieſen ein?
Die beſte mach nur gute Proben,
Soll Dich davor umarmend loben!
Indeſſen wünſch ich Dir viel Glück;
Du aber denck auch noch manchmahl an mich zurück.

Hierdurch ſuchet ſich dem Herrn
Neo-Doctori zu fernerer Freund-
ſchaft und Gewogenheit zu em-
pfehlen
ein aufrichtiger Freund und ergebenſter
Diener

J. A. Schorch
d. R. B.

So

So nim hin, mein Freund! zum würdigen Lohne
Die Dir von Hygea bereitete Crone;
Geſchick wird Dir weiter den Ehren-Weg zeigen,
Wofür nur verlaſſene Dummheit muß ſchweigen.
Es jauchzen die Freunde, ich ſtimme mit ein:
Um aber ein jauchzender Freund mit zu ſeyn,
Was wünſcht ich? wenn reine entzückende Roſſe
Vereint mit dem Glücke Dir läge im Schooſſe.

C. A. Fiſcher.
D. R. B.

Te cernens doctâ redimitum tempora lauro,
Audeo lætitiæ jam dare ſigna meæ.
Jure Tuum merito ſtudium frons ſacra coronat,
Qua Tua doctrinæ copia digna fuit.
Laudo nempe Tui fœcundi laudo laboris
Effectum atque decus gratulor hocce Tibi.
Se Tibi committunt morbi cruciatibus uſti,
Ut medica morbos corporis arte leves,
Omnia ſuccedant, exopto, molimina fauſte
Feliceſque dies innumeroſque trahas.

Pauca hæc gratulabundus adponere ac ſe Prænobilis ac Doctiſſimi Dni Neo-Doctoris favori commendare voluit

L. F. E. RVMPEL
M. C. Opponens.

* * *